

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4913

Auteur(s) : Robert, fils de Richard, de Léry [particulier]

Bénéficiaire(s) : Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1261, mars

Action juridique : vente

Langue du texte : latin

Analyse

Robert, fils de Richard, vend aux religieux de Bonport 20 sous de rente, à Léry.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CCXLVII, p. 252-253.

Texte établi d'après a

Sciant omnes, presentes et futuri, quod ego Robertus, filius Ricardi, de parrochia de Leri, tunc temporis, assensu et voluntate Johannis, filii mei, vendidi et concessi viris religiosis, abbati et conventui Boni Portus, Cisterciensis ordinis, ad usum porte ejusdem domus, viginti solidos annui redditus, sitos in dicta parrochia de Leri, super unam vineam, sitam inter vineam Ameline La Bourgoise, ex una parte, et vineam Nicholai Godart, ex altera, sicut se proportat longitudine et latitudine a vico nemoris, per ante, usque ad vineam Gaufridi dicti Capon, per retro : tenendos et habendos, dictos viginti solidos dictis religiosis libere, quiete et pacifice, de me et heredibus meis, imperpetuum et absque ulla mei vel heredum meorum de cetero reclamacione ; percipiendos singulis annis dictos viginti solidos, ad festum omnium Sanctorum, antedictis religiosis vel eorum certo mandato. Et licebit sepedictis religiosis de predictis viginti solidis suam omnino facere voluntatem sicut de suo proprio, et super antedictam vineam suam plenariam exercere justiciam, pro dicto reddito habendo cum emenda. Et tenemur, tam ego dictus Robertus quam heredes mei, dictis religiosis sepedictum redditum contra omnes garantizare, vel alibi, si necesse fuerit, valore ad valorem in propria hereditate nostra excambiare. Ita tamen promittentes bona fide quod super predictam vineam aliud redditum superaddere non poterimus, nec dictam vineam vendere vel alienare, nisi per voluntatem et preceptum ditorum religiosorum. Et si dampna et deperdita dicti religiosi vel gravamen, ratione hujus venditionis, sustinerent teneremur, tam ego dictus Robertus quam heredes mei, eisdem restituere et soli sermoni eorumdem credere sine alterius probatione. Et si carta ista igne vel aqua pejorata vel perditam fuerit, ad voluntatem et petitionem ditorum abbatis et conventus, vel eorumdem mandato, semper renovare et equivalentem facere, et soli sermoni eorum, ut dictum, credere sine probatione alterius. Hec..... et singula, prout superius sunt expressa in singulis articulis, ego dictus Robertus me obligeo, et heredes meos in posterum relinquo obligatos. Pro hac autem venditione et concessione dederunt michi in pecunia numerata, dicti religiosi, octo libras et decem solidos turonensium, de quibus ad plenum mihi satisfecerunt. Quod ut firmum et stabile permaneat, futuris temporibus presentem cartam sigilli mei una cum sigillo Johannis, filii mei, ad majorem confirmationem munimine roboravimus.

Actum anno Domini M° CC° LX°, mense martio.

Testibus hiis : Guillelmo Benedicto Race ; Race ; Matheo Garenne ; Nicholao Godart, et pluribus aliis.